

um epistolas premitit salutacionem, in qua commendans suam personam &c. Finis ad Philem. vero:

Amen. solamen sit sancti spiritus. amen.

Autor nullibi proditur.

CVI.

- R. 37 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 102. f. min. nitidissime exaratus, columna media angusta laxa ad recipiendam inter lineas glossam, margine utrinque lato notis inserviente, rubricis et literis initiorum cubitalibus deauratis, picturatisque venustus, et olim *Congregationis S. Justine de padua deputatus usui fratrum sancti seuerini de neapoli*, sed a Furcifero quodam improbissime habitus exfectis hinc inde, vel accisis foliis, continet *D. Pauli Apostoli Epistolas* cum utraque *Glossa*, ordinaria videlicet et *interlineari*. Deperiit Epistola I. ad *Corinth.* a C. VII. v. 22. II. tota, ad *Galat.* tota, ad *Ephesios* usque ad C. III. v. 18. Accisae sunt Ep. ad *Philipp.* a fine, ad *Coloss.* a principio; neque reliquis in totum pepercit infana stupiditas puerili, ut videtur, literarum auro coloribusque splendentium amore capta. Ita huic, quemadmodum multis aliis Codicibus, querelam illam adcommodes: *Forma fuit damno!*

Hic intelligitur a roma scripsisse. Gratia sit cum omnibus vobis.

CVII.

- Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 42. 4. min. eleganter lineis laxis in medio paginae scriptus, glossarum adparatu minuscule exarato utrinque latera stipante, et etiam inter lineas recepto, quondam *Job. Fabri Praefulis* nostri, *Apocalypseos Exemplum* est, quod pag. 2. orditur, Prooemio pag. 1. occupante. Atque istud incipit: *Apocalypsis hec inter reliquos noui testamenti libros prophetia uocatur. sed aliis excellentior prophetiis &c.* quae totidem verbis legas in *Bibliis glossatis*, unde etiam reliquae Glossae per Operis decursum magnam partem depromptae sunt, et ita ad *Walafr. Strabum*, *Anselmum Laudun.* et *Nic. Livanum* pertinent. Sunt vero quaedam etiam aliunde adcita, ut ex L. VI. *Ambr. Ansberti* in *Apoc.* qui habetur *Bibl. PP. Lugd. T. XIII.* nomen *Genferici* scriptum literis graecis *Γεννηκος* habens numerum *Bestia*, id est DCLXVI. Ad calcem additur primo: *De Etatibus Hominis Observatio: Gradus etatis VII.*